

67.

1649, 7
M
4
36

DEO
Et Jurium Patronis
faventibus

QVÆSTIONUM

JURIDICARUM

DECAS,

P. P.

PRÆSIDE

POLYCARPO WIRTH.

Phil. & U. J. Professore Extraord.

Respondente

PETRO MUCCIO VRAT. M.

Idibus Martiis.

L I P S I Æ,

Casiteriô Hœnianô Anno M. DC. II.

DEO
Et Johanne Patronis
MEMORIAM

JURIDICARUM

DEGAS

P. P.

PRÆSIDI

P. G. CARPO WIRTH

Phil. & G. J. Professor

Rektor

PETRO MUCIO VRAAT. M.

Libro Martii

LIPSIÆ

Carolo Henningo Anno M. DC. LII.



QVÆSTIO I.

Heres legatario legatum petenti sic scripsit: Quantacunq; sunt, quæ tibi à cognatò meò legata sunt, Kal. Januariis ea solvam, quod tibi per animam meam juro. Cùm in his legatis Falcidia ratio admittatur, Quæsitum est, an heres ex hâc scripturâ, tanquam ex jurejurandò (1.) obligatus sit, legata sine deductione præstare? Respondemus: Inspiciendum primò, an rectè juratum sit? usus enim fori & stylus judiciorum hanc formulam ignorat. Et negat Setserus (2.) juramentum per creaturas licitum & obligativum esse; profertq; argumenta c. si quis per capillum. XXII. qv. 1. & cap. etsi Christus. X. de jurejur. Contrà movet, quòd Justinianus approbaverit juramentum per caput suum, (3.) aut filiorum (4.) item per salutem suam, (5.) aut Principum, (6.) itemq;ve per Genium principis: (7.) quæ omnia æquipollent juramento per animam. Nam qui per caput jurat, in principale, quod ibi est, (8.) animam rationalem putà; (9.) qui per salutem in caput, (10.) & consequenter in eandem detestatur: qui per Genium, per animam, (11.) (sive ut Physici (12.) loquuntur, Intellectum Agentem) jurat. Omnes autem, interprete Tribonianò, (13.) respectu divini Numinis sic jurant. Sed & juramenta in Veteri, (14.) ac Novò (15.) Testamento à sanctis quoq; Viris usurpata legitimus: nec primitivæ Ecclesiæ Doctores, (16.) atq; etiam B. Lutherus Theologorum maximus, (17.) irreligiosa judicârunt: nec prorsus reprobantur Jure Canonico. (18.) Covarruvias (19.) Rauchbar, (20.) Grotius, (21.) Jcti Eximii, juramentum per creaturas legitimum pronunciat, quibus adsentimur. Quamobrem, quod promissum est, sub tali jurejurandò, omnimodò servari debet. (22.)

1.) arg. l. cum
qvis decedens.
37. §. codicillis.
5. ff. de legat. 3.
l. & per jurejurandum. 13. ff. de accept. junct. cap. qvambis, de pact. in sto. cap. cum contingat. X. de jurejur.
2.) l. 1. de juram. c. 15. n. 40
3.) l. 3. §. ult. ff. de jurejur.
4.) l. 4. eod.
5.) l. 5. l. qvi per salutem. 33. eod.
6.) l. si qvis major. 41. §. eos autem. C. de transact.
7.) l. si duo 13. §. ult. eod.
8.) l. cum in diversis. 44. ff. de religios.
9.) Plat. in Tim. Cicer. l. 1. Tuscul. qvæst. Lactant. de opif. Dei. c. 16. Chalcid. in comment. in Tim.
10.) Plin. lib. 2. epist. ult.

A 2

QVÆ-

- 11.) Varro ap. Augustin. l. 7. de civit. Dei. c. 13. & 23. Apul. de Deo Socrat.
12.) Fortun. Licetus de Intell. Agent. l. 5. C. 7.
13.) d. l. 33. eod.
14.) Genes. c. 42. §. 15. l. 1. Reg. c. 1. §. 36. c. 17. §. 55. c. 20. §. 3. l. 2. Reg. c. 14. §. 19. c. 15. §. 20. l. 4. Reg. c. 2. §. 2.
15.) Epist. 1. ad Cor. c. 15. §. 31.

- 16.) Tertull. in apologet. c. 32. Augustin. l. 1. de sermon. Domin. in mont. nec non serm. 28. de verb. Apost.
- 17.) Comment. in Genes. c. 42. v. 15. Et in enarrat. precept. 2.
- 18.) c. non est contra, c. ut noveritis. c. si aliqua causa. Gratian. post c. pen 6. sed objicitur. XXII. q. 1. Photius in Nomocan. tit. 13. c. 19. Balsamon in Schol. ad can. 94. Synod. VI. in Trullo.
- 19.) in cap. quibus p. 1. §. 1. n. 5. de pact. in 6.
- 20.) part. 2. q. 2. 2.
- 21.) l. 2. de jur. bell. c. 13. n. 11.
- 22.) per ea, quae tradit Sarmientus l. 1. Select. Interpr. c. 3.

QVÆSTIO II.

- 1.) ad Confit. Elect. p. 2. c. 23. n. 2. Et l. 1. Semestr. c. 4.
- 2.) Vol. 1. Disp. 28. th. 11. lit g.
- 3.) p. 2. Concl. 29. n. 6.
- 4.) Jurispr. Forens p. 2. c. 23. D. f. 16.
- 5.) Vol. 1. Conf. 39. n. 7.
- 6.) p. 1. Quest. Saxon. 6.
- 7.) Rer. Quotidian. c. 3.
- 8.) ad Treutler d. l.
- 9.) l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. junct. l. 2. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. const.
- 10.) Neue Proceßordnung. c. 42. §. Do auch einer etwas verkaufft ic.

Cajus Titio ades vendidit, adjectò pactò, ut hypotheca essent, donec precium omne persolveretur; Si Cajus Magistratùs confirmationem impetrare neglexerit; Quæritur: an hypotheca sic valeat, ut concurrentibus simul, quæ vel bona Titii omnia tam presentia, quam futura, vel specialiter ades istas consensu magistratùs obligata habent, Cajus præferatur? Mollerus, (1.) Treutlerus, (2.) Berlichius, (3.) negant: Dn. Carpzovius, (4.) Wesenbecius, (5.) Rauchbar, (6.) Herbajus, (7.) Bachovius, (8.) affirmant, quorum sententia & Jure Civili, (9.) & Saxonico Electorali, (10.) vera est.

QVÆSTIO III.

Quæ Cornelio filio domum vendiderat, postea testamentum fecit in hæc verba: Filius meus Cornelius, & filia meæ Julia, ac Secundilla heredes sunt. Paulina neptis mea CCC. aureis ex precio domus, quam Cornelio vendidi, solvendis pro suâ institutione contenta esto. Et aliò capite: Quod Cornelius ex emtione domus mihi debet, ab eò intra Sexennium à morte meâ heredes mei ne petant: volo autem usuras eos percipere, per singulos annos, quibus fors peti non potest. Post mortem Testatrix, cum Cornelius facultatibus labi videretur, sorores Julia ac Secundilla cum eò egerunt, ut domum

domum pro sorte, quam ipsis debebat coram Magistratu hypotheca supponeret. Non multo post moritur Cornelius, relicto grandi ere alieno, quod cum nulla alia bona superessent, de domo solvendum. Veruntamen certabatur inter Paulinam, cui Avia CCC. ex precio istius domus adsignaverat, & Juliam, ac Secundillam, quae hypothecas judiciales impetraverant, utra pars in domo potior esset? Quia liberi certam pecuniam pro institutione sua contenti esse iussi, legatariorum jure censentur, (1.) qui in rebus, quae a Testatore ad heredes perveniunt, hypothecam a lege constitutam habent; (2.) Respondemus, Paulinam praeferrere.

2.) l. 1. C. comm. de legat. & fideicom. Chiflet de portio. c. 15. inf.

QVAESTIO IV.

Aedes locatas incendium absumpsit, quod in vicini locatoris aedificia progressum, partem eorum vastavit. Agente Locatore, eodemque vicino ad damnum sarcendum, negabat Conductor se teneri, nisi Actor probasset, culpa sua incendium exarsisse. In hac quaestione totus probationis culpa tractatus inspicere potest, qui, cum de incendio agitur, competit. Aut enim ex contractu agitur, aut ex delicto: & si ex delicto, vel vicinus agit ad restitutionem damni incendio passi; vel Magistratus in inquilinos, quorum culpa incendium excitatum perhibetur, animadvertit. §. 1. Quando ex contractu agitur, refert, an quid singulariter inter contrahentes super praestatione damni convenerit, veluti si Reus pactus sit, se innocentem ignem habiturum, (1.) vel nihil illaturum, quod causam incendio praebet, (2.) vel generaliter se curaturum, ne incendium in aedibus conductis oriatur, &c. quia nam factum verbis contrarium est, hoc casu Reum ostendere oportet, se pacto stetit. (3.) §. 2. Sin autem specialiter nihil convenerit, quia respectu Patrisfamilias incendium casus est fortuitus, (4.) etiam quando culpa casum praecessit, (5.) & quilibet bonus, industrius, ac diligens antea aestimatus, praesumptionem, quod talis adhuc sit, pro se habeat, (6.) Actor,

A 3

qui de praesumpt.

1.) l. quoties. 13. C. de hered. inst. junct. auth. nobisima C. de inoff. test. Nov. 115. c. 5. in pr. Gloss in l. cum a matre. C. de R. V. Joh. Faber ad d. l. quoties. A. Fab. l. 14. chil. err. 6. Baschov ad Treutl. Vol. 1. Disp. 13. 2b. 12. lit. A.

1.) l. si quis domum, 9. §. Si colonus. 3. ff. loc. cond. 2.) l. Si videamus, 11. §. ult. ff. eod. 3.) l. 2. ff. de probat. Farinac. p. 3. prax. crim. qu. 110. n. 58. 4.) l. capitalium. 28. §. incendiarii, 12. ff. de pen. l. contractus 23. ff. de R. J. 5.) l. Si venditor. 11. ff. de peric. & commod. rei vendit. 6.) arg. l. non omnes 5. §. a barbarus 6. ff. de re milit. cap. mandata X.

7.) l. 5. § 1. &
 l. seq. ff. de probat.
 Farinac. d. q. n. 93.
 8.) l. pen. ff. de incend. ruin.
 9.) l. 3. §. qd ait. 7. ff. eod.
 10.) l. actionum
 25. §. 1. ff. de O. & A.
 11.) l. 4. ff. eod.
 12.) l. quoties 8. §. 2. ff. de probat
 13.) l. in exce.
 ptionibus 19. l. ante omnia 23. ff. l. cum res 12. C. eod.
 14.) l. merito 51. ff. pro soc.
 15.) l. actor 23. C. de probat.
 16.) arg. l. ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil. l. bona fides 31. ff. deposit.
 17.) arg. l. si quis reus 5. ff. de publ. judic. Menoch. l. 2. de Arbitr. Quest. cas 390. n. 5.
 18.) l. 3. §. 1. ff. de O. Pr. V.
 19.) d. l. 3. §. pen.
 20.) d. l. 3. §. 1. Farinac. d. q. n. 96.

qui Reum non rectè fecisse arguit, probationem ejus implere debet. (7.) §. 3. Magis idem dicimus, quando vicinus agit ad restitutionem damni, quod passus est. (8.) Nam quia ille, cuius culpâ incusatur, ex eâ tantum, quæ dolo proxima est, sive ex injuriâ, (9.) id est, ex factò, (10.) & delictò (11.) tenetur; nec dolus (12.) autem, neq; factum, (13.) neq; causa delicti (14.) præsumantur: omninò Actor, quod adseverat probare debet; non reus necessitate monstrandi contrarium adstringi. (15.) §. 4. Aliud non iniquè obtinet, quando Magistratus, publicæ disciplinæ conservandæ causâ, (16.) inquisitoriè procedit. Sive enim Paterfam. incendium excitasse suspectus est, sive aliquis ex ministeriis, aut Inquilinis, suspectus innocentiam suam docere debet. (17.) Hoc ideò, quòd incendia plerumq; culpâ inhabitantium fiant, (18.) quos Magistratus admonere solet, ne negligentia aliquâ incendii casus oriatur: (19.) unde cum incendii exarsio (nisi oēs sibi manifesta sit,) culpam inhabitantium præferat, satis hoc est magistratui, ad pœnam poscendi, qui negligenter ignem habuerunt. (20.)

QUESTIO V.

*Ruricius filiam Ruriciam Barbatio desponsurus, quasi-
 vit ex eâ, nunquid conditio placeret? non abnuentem, &
 quæ ipsi placerent sibi non ingrata fore, referentem, de-
 spondet, tabulas dotales confici curat, Sponsum cum No-
 tario & Testibus domum adducit; accersitur Ruricia, in-
 terrogatur, num rata habere velit, quæ pater cum sponsò ta-
 bulis annotata pepigisset? respondit, quòd pater faceret, id
 sibi gratum fore: paulò post ab ipsò Barbatiò iterum ap-
 pellata, verbum quidem non fecit, osculò tamen appellan-
 tem impertiit, & arrham, aureum nummum, recepit,
 stro-*

strophiolò vicissim ei datò. Post aliquot hebdomadam intervallum Ruriciam pœnitentia subit, negat se patri consensum præbuisse, nec Barbatio matrimonii fidem dedisse: causâ ad iudices deductâ, quia ex depositione testium satis constabat, Ruriciam interrogantibus de matrimonio cum Barbatiò ineundò directis verbis non respondisse;

Quæsitum est, num sponsalia irrita pronuncianda sint? Respondemus: In sponsalibus filiarum familiâs consensum expressum non præcisè requiri, sed sufficere tacitum, quem inducit desponsatio à patre facta, non disertè contradicente filia; (1.) maximè confirmata factò quòdam & signò externò, (putà osculi pactione, aut subarrhatione,) quò valida effici sponsalia, etiam si verba non intervenerint, Doctores sentiunt. (2.) Quamobrem dicendum, Ruriciæ, quæ patri non contradixit, osculò sponsum probavit, arrham accepit, & dedit; imò nec à verborum promissione profus abstinuit, (quantulum enim inter hæc, quæ pater facit, grata mihi erunt, & illa, quæ voluntas parentum vel cognatorum meorum, mea quoq; voluntas est, quibus plerunq; puellæ uti solent, & pro directis communiter habentur, interest?) sponsalia subsistere, nec pœnitere eam posse; nisi iusjurandum det, se nunquam cum de matrimonio compellaretur, animitus & pectoritus consensisse, & sic præsumptiones, quæ ipsam onerant, amoliantur. (3.)

3.) Cypræus de Jur. Connub. c. 7. §. 1. in fin. Panormit. in cap. continebatur X. de Despons. Impub. Ruckerus in Tom. 2. Consil. Matrim. 34. in fin.

1.) l. sed quæ patris 12. ff. de sponsal. c. bonorantur XXXII. q. 2. cap. un. §. ult. de Despons. impub. in sto. Guibertus de sponsal. tit. quib. mod. spons. contrah. n. 1. Sannazarus de sponsal. c. 2. art. 4. n. 48. & seqq. 2.) d. cap. un. in pr. cap. fin. X. eod. l. arrhis 4. C. de sponsal. l. 16. C. de don. ant. nupt. c. si quis uxorem. 14. XXVII. q. 2. Harmenopulus l. 4. Jur. Promt. tit. 3. Covarrub. de spons. & matrim. c. 4. Alb. Gentili l. 4. de Nuptiis c. 11.

QVÆSTIO VI.

Sejus Mævio salutem. XX. aureos, quos à me nuper accepisti, rogo proximè remittas. Mævius qui se à Sejò nihil accepisse certus erat, non respondit; epistolam tamen apud se retinuit: exactò bienniò Sejus à Mæviò XX. aureos petit, Quæritur, quia biennium, intra quod exceptio non numeratæ pecuniæ opponi debet, (1.) præterit, an Mævius

1.) l. in contractibus 4. C. de non numer. pecun.

ex



2.) l. 4. *semestr.* *ex eâ Scripturâ obligatus sit?* Quidam dicunt obligatum esse, idq; etiam adserere Mollerum. (2.) Nos Sejum, quod scriptum sit, probare debere existimamus. Nemo siquidem ex scripturâ alienâ obligari potest, (3.) nisi voluntate suâ scriptum esse constet. (4.) quod & Scavolâ, (5.) & Paulus (6.) Coriphæi Legum Prudentum responderunt.

3.) l. *fidejussor.*
26. s. 1. ff. *de pignor. pr. J. de Lit. oblig.*

4.) l. 4. C. *de doç. promiss.*

5.) l. ult. ff. *de O. & A.* 6.) l. *Publia* 26. s. ult. ff. *depos.*

QVÆSTIO VII.

1.) arg. l. *inter liber as.* 6. ff. *ad L. Jul. de adult.* Oblimosus cum Materiâ uxore Demetrii publicè proscripsi in ipsâ turpitudine sic deprehensus erat, ut ea quæ commiserat, negare non sufficeret. Dicebat patronus ejus, adulterii pœnam locum non habere, quod adulterium non committeretur in personas, quibus cum societas civilis abscissa est. (1.) Ob eam rationem Magistros Judæorum fœminas alienigenas, (2.) Romanos ancillas, (3.) adulterii incapaces existimâsse. Etiam Michaëlem Ephesium (4.) negare (ut quidam apud Senecam Rhetorem (5.) ait) adulterium non esse tyranni uxorem polluere, sicut nec homicidium tyrannum occidere. Allegabat prætereâ Neillum (6.) scribentem, in mulierem bannitam impunè committi adulterium; quoniam nimirum vitæ vilitas indignam legum observantia eam facit. (7.) Nec obstare, quod Materia, cum quâ Oblimosus deprehensus erat, bannita vel proscripta non sit: idem enim non immeritò obtinere in eâ, quæ proscripti contubernia servat; siquidem uxor, tam prosperæ, quàm adversæ fortunæ viri socia, (8.) & ejusdem juris (9.) particeps, imò ex definitione Canonum, una caro, unum corpus cum virò; (10.) sicut mariti honore erigi, sic & ejusdem sordibus ac infamiâ deprimi ac vilis haberi solet. (11.) Sed quia proscriptus, quæ Juris Naturalis ac Gentium sunt, retinet; (12.) nec matrimonium

2.) R. Mos. Maimon. hal. *Iuri Bia c. 14.*

3.) d. l. 6. ff. l. *etsi* 25. l. *quæ adulterium* 29. C. *eod.*

4.) in *Comm. ad l. 5. Eth. Nicom.*

5.) in *excerp. l. 4. Controvers. 7.*

6.) *de Bannit. p. 2. secund. qu. 46. per l. nec in eâ* 22. s. 3. ff. *eod.*

7.) d. l. 29. C. *eod.*

8.) l. *si cum doctem* 22 s. *si maritus* 7. ff. *sol. matr. Justinus* l. 23. *Histor. c. 2. Plucarob. in Brut. c. 19.*

9.) l. 1. ff. *de R. N.*

10.) c. *admonere.* XXXIII. qu. 2. cap. *debitum.* X. *de Bigam. non ordin.*

11.) l. *mulieres* 13. C. *de dignit. lib. 12. Molrad. de Matrim. tit. de polygam.*

12.) l. *deportatus* 15. l. *relegatus* 18. ff. *de interd. & releg.*

nium ejus, quod Juris Naturalis (13.) est, proscriptione solvi-
tur; (14.) eodēq; violatō crimen committitur naturā turpe; (15.)
Respondemus, Oblimosim ut adulterum puniendum. §.1. Idem
dicendum foret, si Materia ipsamet proscripta fuisset: (16.)
quia non ut vis & cædes, ita stuprum quoq; vel adulterium
pœnæ vice fungi; (17.) aut ad securitatem publicam condu-
cere possunt. (18.)

15.) l. probrum. 42. ff. de V. S.

16.) Farinacius p. 3. prax. crim. qu. 103. n. 166.

17.) Ant. Matthæus de Crimin. l. 48 ff. Tit. 5. c. 2. n. 4.

18.) Grotius l. 3. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 19. Clarus in §. homicidium. n. 86.

13.) l. 1. §. 1. ff.
de J. & J.

14.) l. sed si mors

13. §. 1. ff. de

don. int. vir. &

uxor. l. sed si a-

lia §. 1. ff. de

bon. damn.

Nov. 22. c. 13.

QVÆSTIO VIII.

*Mota fuit in Auditoriō quorundam Judicum quæstio
hujusmodi: Petebat Lucia, quæ judiciō familiae herciscunde
cum Flaviā contendebat, domum hereditariam, in quā
jus ultimi licitatoris consecuta erat, sibi adjudicari: Fla-
via negabat adjudicationem fieri debere, & contrā postu-
labat, Lucie imponi, ut respondeat in articulō præstatio-
num, quas ipsa in judicium deduxerat, quò lis tota eādē
sententiā terminari posset. Ambigebatur à cujus parte jus
staret? Rectè placuit, Flaviam esse audiendam; in hōc enim
judiciō condemnationes, & absolutiones in omnium per-
sonā faciendas Lex ait. (1.) Atqui Cujacius (2.) Interpres acu-
tissimus, legem ad præstationes personales restringit, nec de
adjudicationibus loqui censet; & Accursium reprehendit
Antonius Faber (3.) ob dictum de totā controversiā simul ter-
minandā. Sed verior sententia Bachovii (4.) viri docti, & non
insubtilis, eandem esse rationem in præstationibus persona-
libus, & in adjudicationibus; siquidem, ut ipse Faber docet,
etiam adjudicationes in personis coheredum correspondivæ,
omnes namq; hīc actores sunt, & Rei; (5.) unde Baldus (6.) &
Gomezius (7.) probè inferunt, hinc inde adjudicationem &
condemnationem fieri; quippè in adjudicationibus hic he-
res possessionem tradere, & dominium suum omittere, alter*

1.) l. in hōc ju-
diciō 27. ff.

fam. hercisc.

2.) l. 23. Observ.

c. 1.

3.) in Rational.

ad d. l. 27.

4.) ad Treutl.

Vol. 1. Dup. 19.

ib. 11. lit. C.

5.) l. 2. §. 3. l. in-

ter coheredes

44. §. 4. ff. eod.

6.) ad l. 2. §. 1.

ff. & l. 2. §. sed

juxta C. Comm.

divid.

7.) ad §. quæ-

dam. n. 6. J.

de Act.

B

con-

8.) l. si idem 11.
§. ult. ff. de Ju-
risdict.
9.) arg. l. ut
fundus 18. ff.
Commun. di-
vid.
10.) l. si filia 20.
§. 4. ff. l. 1. C.
famil. hercisc.

contra precium adversario solvere damnas fit. Equidem totam rem ex utraq; , non ex unâ tantum parte in iudicium deduci, nec singulas partes in duplicibus iudiciis spectari Causus (8.) definit: Ergo tota quoq; res unâ sententiâ decidi debet: (9.) maxime quod hoc iudicium sententiâ semel terminatum finem accipiat, nec repeti possit, etiamsi quaedam capita sint omissa: (10.) iniquum autem foret, Flaviam ab actione semel captâ ad placitum partis adversæ per sententiam adjudicationis removeri.

QUESTIO IX.

1.) arg. l. in
mancipium 23.
C. de R. V. l. 2.
C. de furt.
2.) d. l. § l.
Latrones 17 ff.
de captiv. §
postlim. revers.
3.) d. l. 23. C. de
R. V.
4.) in l. ab ho-
stibus C. de
postlim. revers.
5.) in l. 1. § 1.
n. 2. ff. de A.
vel A. P.
6.) Decis. Nea-
pol. 71. n. 18.
7.) de Bell. c. 17.
n. 4. 5. 6.
8.) l. 3. de jur.
bell. c. 6. § 12.
9.) l. naturalium
§. § ult. ff. de A.
R. D. junct. l. si
quid bello 28 ff.
de capt. § post-
lim. revers.
10.) l. in bello
12. si quis servum
7. junct. l. mulier § eod. l. in agris 16 ff. de A. R. D.
11.) testantibus Ripa ad l. 1. n. 1. ff. de A. vel. A. P. Grotio l. 3. de jur. bell. c. 6. § 3.

Hostes prædam agentes Sempronii equum ceperant, & inter præsidia sua perductum Attio Sempronii concivi vendiderant. Postea cum Attius equum istum domum reduxisset, Sempronius illum vindicare instituerat, & apud Judicem suum obtinuerat. Appellatione factâ, Dubitatum est, si sententia rescindenda? Videtur enim incivilem rem desiderare Attius, qui equum vi abductum domino vindicanti reddere nequit, si admittimus, quod certis Auctoribus placet, milites hostis prædæ causâ in viis & agris palantes, pro veris prædonibus haberi; (1.) tunc etenim cessante jure capiendi atq; acquirendi, (2.) cessare necesse est jus distrahendi. (3.) Veruntamen, quia Jure Gentium in bello solenni res hostium, non solum justâ acie, sed etiam per liberos & injustos excursus rapere & capere permissum est, ut apertissime docent Salicetus, (4.) Romuleus (5.) Thomas Grammaticus, (6.) Bocerus, (7.) Grotius, (8.) dicendum equum, de quo controversia est, in prædam capientibus cessasse, eorum q; factum, (9.) & commercii jure ad Attium sic transisse, (10.) ut Sempronius dominium ejus vindicare prorsus nequeat. Imprimis sententiam pro Sempronio latam rescindit, quod mores omnium penè gentium Europæarum induxerint, ut res quævis mobiles sint, maneatq; capientium, si per XXIV. horas secum illas habuerint, ac possederint; (11.) quod & apud Hispanos

Hispanos, (12.) Anglos, (13.) Gallos ac Batavos, (14.) legibus
 constitutum est. §.1. Illud videamus, an Attius condemnari
 possit, ut recepto precio equum Sempronio restituat. Sic
 enim in Servis Jus Romanum definit, (15.) qui equis exæquan-
 tur. (16.) Et verius est non posse: quia hominibus postlimi-
 nium est, quo statum pristinum recuperant; (17.) res vero in
 prædâ sunt, (18.) quæ dominium pristinum (19.) exstingvit, &
 ita fit capientis, aut ejus, qui causam à capiente habet, (20.) ut
 invituseam distrahere non compellatur. (21.)

15.) d. l. mulier 6 d. l. 12. §. 8. ff. de capt. l. ab hostibus 12. C. de postlim. revers.

16.) l. 2. §. 2. ad L. Aquil.

17.) l. postliminium. 19. §. ult. ff. de captiv. & postlimin. revers.

18.) l. si quid bello 28. ff. eod.

19.) arg. l. si captivus 20. §. 1. ff. eod.

20.) l. 5. §. ult. ff. de acquir. rer. domin. Angelus in disput. renovata guerra. Grotius d. l. §. 2. Cu-
 naus d. resp. Bocerius d. l. n. 7.

21.) l. inditum 11. l. in venditionis 13. C. de contrab. empt.

12.) Molina
 T. 1. de J. & J.
 Tr. 2. Dup. 118.
 n. 4.

13.) Alb. Gen-
 til. l. 1. Advoc.
 Hispan. c. 3.

14.) Cunaus in
 Cons. in causis
 postlim.

QVÆSTIO X.

Manipulus militum, adsvetorum de provincialium la-
 crumis vivere, vaccas Marco abegerant; eas Marcus per-
 sequens comperit hostium potitas, & ab his in urbem,
 utrisq; belligerantium amicam, actas esse. Aditò proinde
 Magistratû, petit, vaccas sibi, cui factis scelestissimò adem-
 ta essent, (1.) restitui: Quæsitum est, an à possessoribus, qui
 in conflictû eas ceperant, auferri, & Marco reddi jure de-
 beant? Respondemus: Si, qui ab hostibus suis ceperunt, me-
 tû persequentium, & itinera occupantium, amicam urbem
 ingressi, ibi hærent, quia conflictus durare, nec animum pos-
 sidendi hos, qui amiserunt, deposuisse censentur; (2.) vaccas
 Marco supervenienti reddi debere. (3.) Sin aliis ex causis eò se
 receperunt, in possessione suâ à communi amicò tuendos
 esse. (4.) Res namq; hostium, quò nomine & Marcus subditus
 hostis venit, ubicunq; deprehenduntur, (5.) capi, & captura
 jure acquiri possunt. (6.) Sicut autem amicus communis in-

1.) arg. l. bona
 fides 31. §. 1. ff.
 depos.

2.) arg. l. 5. §. 1.
 & 4. l. Pompo-
 nius 44. ff. de
 A. R. D. Angel.
 in Disp. reno-
 vata guerra.

Ripa in l. 1. n. 4.
 ff. de A. Sel. A. P.

Molina T. 1. de
 J. & J. Tr. 2.
 Disp. 118 n. 4.

3.) arg. l. bona
 fides 31 §. 1. ff.
 depos. Gram-
 maticus Dec.

Neapol 71 n. 12.

4.) arg. l. si ser-
 sum 91 §. 3. ff.

de V. O. l. in pari
 tra 118 ff. de R. J.

5.) Grot. l. 3. de jur. bell. c. 6. §. 2.

R. D. junct. l. 28 ff. eod. Gloss. Weichbild art. 2.

6.) l. in bello 12. ff. de capt. & postlim. revers §. 17. J. de

7.) l. 19. § 3. ff. de capt. & postlim. reb. *Gama Dec. Lusit.*
384. *Cunæus in Resp. in caus. postlim.*
8.) l. 5. § 1. ff. eod.
9.) *Ajala de bell. jur. c. 5. Alb. Gentilis*
l. 1. *Advoc. Hispan. c. 2. Grotii l. 3 de jur. bell. c. 6. § 3.*
10.) d. §. 17. *J. de R. D. l. 5. §. ult. l. 5. §. 1. ff. de A. R. D.*
11.) l. 1. §. 1. ff. de A. vel A. P.
12.) *testantibus Angelò d. Disp. Jafone in d. l. I. n. II. Cunæo d. Resp. Vinnio ad d. §. 17. J. de R. D.*

tra suos limites nihil hostile patrari sinit; ita quæ extra eos hostiliter gesta sunt, rescindere, & prædam captam alteri vi adimere non debet. (7.) Nec Marci causam juvare potest, quòd vaccæ captæ nondum videantur, quas hostes intra sua præsidia non deduxerunt: (8.) rejecta quippe est sententia existimantium, (9.) prædam non acquiri ante deductionem intra præsidia; cùm jure gentium res captæ capientium, aut occupantium statim fiant, (10.) per solam apprehensionem possessionis, quemadmodum feræ, aves, pisces, (11.) quò jure hodie (12.) utimur.


Ἐπίσχυρα.

Crimen læsæ Majestatis non potest à Principe in Status Imperii committi.

Erratum.

In quæst. 7. l. 8. verbo, negare, substituatur verbum, adserere.

F I N I S.







Leipzig, Diss., 1645/49


ULB Halle 3
003 265 218




Sb.

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

onis

ONUM
RUM

E
WIRTH.
e Extraord.

VRAT. M.

Æ,
M. DC. IL,

1649, 7

36

M
4

1 1/2

